

99 7 226





DISPUTATIO XX.  
DE MISSA,

*Quam,*

CHRISTO DUCE ET AUSPICE,  
ventilandam proponit,

*SVB PRAESIDIO*

MATTHIAE HOE, von Doeneck / Equi-  
tis Austriaci, SS. Theol. Candidati,

*M. ADAMVS Windtdorffer /*  
*Graezensis, Styrius.*

Ad diem 15 Novemb. anno seculari 1600.  
hora 12 pomeridiana, loco disputa-  
tionibus nostris destinato.

*Ebr. 10. v. 10. & 14.*

Vna oblatione corporis sui, Iesus Christus semel  
consumavit in aeternū eos, qui justificantur.

VVITTEBERGAE  
Typis Simonis Gronenbergii.  
ANNO 1600.

*Dn. M. Christophoro Donavero*  
*poetae Laureato*

REVERENDIS, CLARISSIS,  
MIS, HONORANDIS VIRIS:

Dn. M. CHRISTOPHORO DONAVERO, Poë-  
tæ Cæsareo elegantissimo, Ecclesiæ purioris & sanctioris,  
quæ Ratisbonæ colligitur, Antistiti vigilantissimo, Mu-  
sarum mearum ANCHORAE validissimæ:

Dn. M. CHRISTOPHORO BINDERO, ejusdem  
Ecclesiæ Diacono fidelissimo, studiorum meorum  
REMIGIO sedulo:

Dn. ERHARDO Widtmayr / Civi Ratisbonæ gravissimo,  
Susceptori meo honorando, bonarum artium & parti-  
um mearum PORTVI & AVRÆ exoptatissimæ.

EXSVLIBVS IESV CHRISTI  
PATIENTISSIMIS:

Dn. IOANNI Stobelberger / Senatori olim maximè primario Me-  
tropolis Græzii in Styriâ, commodorum meorum  
NAVIGIO promptissimo:

Dn. GABRIELI Windtdorffer / ejusdem Archi- ducalis Urbis Civi  
quondam spectatissimo & acceptissimo, Parenti meo Numi-  
nis instar venerando & habendo:

Dn. SIXTO Helbling, Archi- ducalis Aulæ Ferdinandi, quæ Græzii,  
Arculario jam - olim peritissimo, amico meo optimo & dilecto:

*Hoc idolum Missaticum  
In novi Anni auspiciis,  
Honoris & amoris testimonium*

Dicando confecro,  
Consecrando addico,  
Addicendo inscribo

M. Adamus Windtdorffer / Styro - Græzensis,  
SS. Theol. Lutheranae Studiosus.

99 7 226



DISPUTATIO XX.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

THESIS I.



**A**cropolin, & animam quasi totius regni Pontificii *σὺν θεῷ* expugnandam aggredimur, & horrendum illud Idololum Missaticum peculiaris disquisitionis loco considerandum damus, hoc pacto, ut, quid in Missâ illâ abominandum & execrabile, visuri, quomodo ea validè confundi queat, paucis dispecturi simus.

II.

Primum ergo locum obtinet illud, quod de vocabulo Missæ disceptari solet, quantæ antiquitatis, & cujus sit originis: num Græcum, vel Hebræum, vel Latinum sit.

III.

Antiquitatem quod attinet: Primis quatuor seculis à nato Christo, vocula ista nec lecta, nec audita, nec dicta fuit, adeoq; antiquissima esse falsò à Bellarmino lib. I. de Missâ c. I. asseritur.

IIII.

Exstat enim demum tempore Ambrosii (Ambros. lib. 5. Epist. 33.) & tempore Leonis (Leo in Epist. ad Dioscorum Alexandrinū) & apud Hilarium in Ps. 65. vt ita mille ducentis Annis usus vocabuli non sit antiquior.

V.

Patet hinc, voculam hanc nec Ebræam, nec Græcam, sed tantum Latinam esse, id quod nec ipse Bellarminus Iesuita inficiatur, lib. I. de Missa c. I. tom. 2. edit. in fol. Anno 1596. fol. 938. sub finem scribens: multò probabilior est eorum sententia, qui docent, Missam vocem esse Latinam, & à Latinis primùm usurpatam in celebratione Mysterii *εὐχαριστίας*.

## VI.

Gravior autem est controversia, quid vocabulo Missæ antiquiores patres acceptum voluerint: nimirum officia divinorum Sacramentorum, quando in conventibus Ecclesiasticis Sacramenta administrabantur, dispensabantur, participabantur, sicut ex Hilar. in Ps. 65. & ex epist. Leonis manifestum evadit.

## VII.

Tertulliani & Cypriani seculo, Missa dimissionem, seu abeundi copiam & potestatem significabat. Nam cum discendi ex coetu fieret venia, dictum erat: Ite, Missa est.

## VIII.

Reperitur etiam vocula hæc usurpata pro divino officio, precum, lectionum, exercitio verbi Dei, collectis, sicut ex capite I. Concil. Valentini, & can. 12. Concil. Miltr. sole clarius elucescit: quo in significato Apologia Augustanæ confessionis Missam non esse abrogatam apud nos profitetur.

## IX.

Tandem apud Romanenses sacrificulos Missa significat sacrificiū, h. e. talem actionem sacram, in qua conficitur Eucharistia multis præcedentibus & sequentibus precibus & ceremoniis, nomen & omen Sacrificii verè propitiatorii obtinentem.

## X.

Heic non ampliùs tam de vocabulo Missæ, quàm de re per illud significatâ disceptatur: & an tale aliquod sacrificium Missaticum, quocunq; nomine indigitatur, ex Theologiâ, vel defendi & approbari possit, quaritur?

## XI.

Ita enim definiūt Pontificii Missam: quòd sit propriè sacrificium verè propitiatoriū, in quo Christus sub visibilibus signis Deo Patri per Sacerdotes quotidie in altari non cruento, sed incruento modo offeratur: Tam pro fideiū vivorū peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus: quàm pro defunctis.

sanctis in purgatorio existentibus nondum plenè perpurgatis:  
Sicut expressè profitetur cum conciliabulo Tridentino ses. 22.  
c. 1. 2. 3. Bellarminus Iesuitarum Coryphæus Tom. 2. contro-  
vers. lib. 1. de Missâ, capitibus bene multis, scil. à 6. usq; ad 27.  
& lib. 2. de missâ c. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

## XII.

Hæc E. est Helena illa, pro quâ ornandâ, comandâ, deco-  
randâ, defendendâ tantopere laborant Pontificii. Hoc est ido-  
lū illud Mahuziæ, Dan. II. quod Beatis. Megalander spiritu o-  
ris Christi demolitus, & fulmine cœlesti validissimè prostravit:  
quod etiâmnū σὺν θεῷ confutare & confodere animati sumus:  
hoc pacto, ut prius dogma ipsum ad trutinam veritatis & scri-  
pturæ S. appendere, deinde nonnulla argumenta Papistica ex-  
aminare velimus.

## XIII.

Initio E. quia Missam nihil aliud quàm Eucharistiam sacram  
esse, dictirât, & nihilominus Missam propriè Sacrificiū appel-  
litant, periculosa fit hoc dogmate Sacramentorum & Sacrifi-  
ciorum σὺν γρηγορίῃ & confusio: id quod enim Sacramentum  
est, Sacrificium propriè sic dictum non est: & vicissim.

## XIII.

Quòd si Eucharistia Sacrificium spirituale, & sic δευτέρως ac  
impropriè sacrificium nominaretur, quatenus verò inibi fit  
commemoratio mortis Christi, fit gratiarum actio, fit benefi-  
ciorum S E R V A T O R I S applicatio: Tum utique non pu-  
gnaremus; Quippe quòd spiritualis cultus Deo & vitæ sancti-  
monia frequenter hoc nomine indigitatur. Ps. 50. Ps. 51. Os.  
14. Rom. 12. Hebr. 13. 1. Petr. 2.

## XV.

Iam verò Missam dicunt esse sacrificium propriè, hoc est,  
actionem aliquam sacram, quâ res aliqua EXTERNA & sensi-  
bilis offertur, in eum finem, & iis ritibus, qui sunt ab ipso Deo

A 3

inli-

instituti: Quo pacto Missam Sacrificium habere nec volumus,  
nec possumus.

XVI.

Primò enim Missæ sacrificium non habet expressum man-  
datum & testimoniū: cū ad legitimum sacrificium verbi di-  
vini autoritas & præceptum vel maximè requiratur, & D E V S  
frustrà inventionibus ac ἐντάλασιν humanis afficiatur.

XVII.

Deinde Apostoli quotiescunque de sacrificiis à Christiano  
faciendis loquuntur, proponunt tantū Sacrificia Spiritualia,  
hostias labiorum, preces &c. Nec unquam alicujus realis aut  
externi Sacrificii mentionem faciunt. Si itaque cum Aposto-  
lis loqui & sentire velimus, quemadmodum certè decet, utiq;  
nullum tale externum Sacrificium in novo Testamento agno-  
scemus.

XVIII.

Quòd hoc dogma de Missâ secum pugnet, neque sine ma-  
nifestissimâ ἀντιφάσει & contradictionis vitio rectè explicari  
possit.

XIX.

Cū enim Pontificii Missæ Sacrificium definiunt, illud sa-  
crificium dicunt esse externū, & affirmant, verum Christi cor-  
pus sub speciebus panis & vini illic OFFERRI.

XX.

At verò si Sacrificium est proprium & externum: est igitur  
visibile. Nullum autem sacrificium externū & visibile esse pot-  
est, quin id, quod offertur, sit visibile: Sacrificium enim sine  
victimâ ne cogitari quidem solet.

XXI.

Quod ipsum Iesuita Bellarminus lib. I. de Missâ c. 2. fol. 943.  
asserit his verbis: In omni sacrificio propriè dicto requiritur

ICS



res aliqua **S E N S I B I L I S**, quæ offeratur, nec in solâ actione consistere Sacrificium potest.

**X X I I.**

Iam autem victimam quæ in Missâ offertur, dicunt esse corpus & sanguinem Christi: Hinc sequetur, corpus Christi vel esse visibilem hostiam, quod manifestè  $\omega\alpha\gamma\acute{\alpha}\delta\epsilon\zeta\omicron\mu$ , vel non esse sacrificii Missatici victimam, quod contra Iesuitarum & sacrificulorum est consuetam sententiam.

**X X I I I.**

Inprimis autem, quia scriptura Christum semel duntaxat pro nostris peccatis oblatum esse innuit, Heb. 9. v. 13. & 28. Heb. 7. v. 27. Heb. 10. v. 10. Hinc adeò Missa sacrificium oblationis externæ haberi nequit: Quippe quòd in ea Christus infinitis vicibus offerri Deo Patri asseritur.

**X X I I I I.**

Nolo urgere, quòd sacrificium Missaticum legalium ceremoniarum umbras in Theatrum & proscenium quasi Ecclesiæ Novi Testamenti iterum reducit: Et sic Novi & Veteris Testamenti tempora confundit.

**X X V.**

Illud inprimis pensi habere cogito, si in Missâ juxta Pontificiorum sententiam vera & realis; & externa fit oblatio corporis & sanguinis Christi: necessum est, ut Christus verè & reipsâ in Missatico sacrificio occidatur: juxta illud Heb. 9. v. 24. Neque ut sæpe offerat seipsum, sicuti Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno: Alioquin oportebat cum **F R E Q U E N T E R P A T I** ab origine mundi.

**X X V I.**

Sic cum scriptura oblationem Christi describit, ut illum morte suâ pro nobis Deo oblatum esse asseverat Hebr. 7. & 9. Rom. 8. Esa. 53. Rom. 4 Gal. 2, Ephes. 5. Ioh. 10. Gal. 1. 1. Tim. 2. Tit. 2. &c.

**Hæc**

XXVII.

Hæc enim, & similia dicta demonstrant, Christum ex usu scripturæ non alia ratione dici offerri Deo, nisi propter veram & realem ipsius mortem: adeò, ut hujus φθάσεως: Christus semetipsum obtulit, sensus iste sit: Christus mortuus est.

XXVIII.

Quamobrem si Christus verè in Missa offertur: Ergo & in Missa verè occiditur, verè moritur: quod absit! Christus enim non amplius moritur, mors ei non amplius dominatur, & quod mortuus est, peccato mortuus est semel: nunc autem vivit in æternum, Rom. 6. Missa proinde proprium sacrificium non est.

XXIX.

Et suffragatur tandem, quòd veri externi sacrificii vis ac via sit, ut victima oblata immuteretur, sicut id patet ex omnibus sacrificiis externis Leviticis, Exod. 29. Levit. 1. 2. 3. &c. descriptis.

XXX.

At verò jam, si Christus dicatur victima veri sacrificii, verè, & externo modo offerenda, tum utique consecrancum fuerit, ipsum quotidie etiámm IMMVTARI: quod absurdum, ἀπόλογον, ἢ ἀθεον est.

XXXI.

Et licèt sacrificuli Romanenses contra hoc fundamentum objectare soleāt; in Missa quoque fieri mutationem, quia scilicet panis & vinum per fictitiam μετασίου & transsubstantiationem mutantur in corpus & sanguinem Christi: tamen hæc objectio sic comparata est, ut ipsorū proprias ὑποθέσεις evertat.

XXXII.

Si enim panis & vinum tanquam hostia immutari dicatur, jam corpus & sanguis Christi hostia sacrificia nominari, vel haberi nequeūt, id quod Pontificii negabunt ipsi. Aut ergo, Missam non esse sacrificiū, aut in ea corpus & sanguinem Christi non esse victimam concedant, necessum est.

Evicimus

XXXIII.

Evicimus ergo, Missam non esse sacrificium externum, & propriè sic dictum: Evincemus quoque, Missam falsissimè & hæreticissimè propitiatorium sacrificium nominari.

XXXIV.

Nam primò nusquam legitur, quòd Christus in institutione Cœnæ Dominicæ tali propitiatorio sacrificio externo se Deo obtulerit, atque hoc pacto peccatorum remissionem nobis impetraverit

XXXV.

Quin potius, si D. Paulo Apostolo credimus, & eidem fidem adhibere volumus, præter passionem & mortem Servatoris nostri Iesu Christi, aliud sacrificium propitiatorium minimè reperiemus. Hebr. 10. v. 14. & 18.

XXXVI.

Ipsa certè sacrificii istius ficticii repetitio creberrima Iesuitas edocere poterat, quòd peccata propitiare nequeat: cum nihil, quod repetitur, sacrificii propitiatorii pro peccatis vel vim vel nomen obtinere possit. Hebr. 10. 15. 1. & v. 11.

XXXVII.

SEMELENIM TANTVM Christus, qui est propitiatio pro peccatis nostris, 1. Ioh. 2. v. 2 OBLATUS est: & semel duntaxat peccato mortuus est, unicaq; oblatione perfecit & consummavit omnia. Hebr. 9. v. 13. & 28. Hebr. 7. v. 27. Hebr. 10. v. 10.

XXXVIII.

Imò, quia INCRUMENTO MODO Christum in Missa offerri dicunt: plus quàm vel Tiresiana cæcitate laborent necessū est, vel temeritate profusissima: quòd nihilominus Missam pro sacrificio propitiatorio obtrudere non erubescant.

XXXIX.

Nullum enim incruentum sacrificium, esse sacrificium propitiatorium, D. Paulus Apostolus iterum luculentissimè testatum reddit. Hebr. 9. v. 16. & 22. & 24.

B

Tantum

**XL.** Tantum abest, ut pro mortuis Eucharistiam, vel Missam celebrare debeant: quippe qui nec edere, nec bibere, nec seipso probare, nec mortem Domini annunciare possunt: quæ tamē universa & singula à cœna participantibus requiruntur.

**XL I.** Concidit his fundamentis, ceu fulminibus tædum coelestibus idolum Missaticum: concidunt παραδόξα, reverà παραδόξοτατα: quæ quomodo Iesuitæ, & reliqui Pontificii defensare ac colorare soleāt, cognoscere non erit vel injucundū vel inutile, ac proinde ad partem alteram, nempe ελεγκτικῶν nos accingemus.

**XL II.** Et ut facilior & expeditior sit cum hostibus congressio, diligentissimè attendendum est, quidnam & quantum argumenta illorum, pro Missæ Sacrificio adducta, probare debeant.

**XL III.** Videlicet I. corpus & sanguinem Christi in cœna Dominica tractandum esse histrionica illa representatione, verbis, ritibus, gestibus, actibus: sicut Missa facit Pontificia: hinc enim Iesuita Bellarminus Missæ ceremonias manibus pedibusq; defendit, lib. 2. de Missa. c. 13. 14. 15. 16.

**XL IV.** Deinde talem representationē esse sacrificium, & à Christo Servatore expressè institutū, & Deo patri acceptissimum,

**XL V.** Tertio, esse sacrificiū propitiatorium ad expianda & delenda peccata, ad consequendam remissionem peccatorum, ad impetranda omnis generis beneficia, & tandem pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus tam vivorum, quàm mortuorum.

**XL VI.** Quarto, per illud Sacrificium applicari merita passionis Christi, si quis curet pro se celebrari Missam: imò presentibus, ablen-

absentibus, vivis, mortuisque, quibuscumque Sacrificulus illud  
voluerit applicatione sua communicare.

XLVII.

In horum membrorum quatuor demonstratione evidentissi-  
ma omnis Pontificiorum argumentatio, omnis conclusio occu-  
pata esse debet: ut, nisi hoc pacto vel Iesuita Bellarminus, vel  
conciliabulum Tridentinum argumententur, pro Sophistis, igno-  
rationes Elenchi, paralogismum committentibus, haberi de-  
beant.

XLVIII.

Vt itaque à Iesuita Bellarmino faciamus auspiciam pro  
asserendo sacrificio, propriè sic dicto, Missatico, principalem  
ac primarium locum producit illum, qui Gen. 14. de Melchi-  
sedeco, panem & vinum proferente, habetur. Bellarm. lib. 2.  
de Missa, cap. 6. per totum.

XLIX.

Exinde hunc in modum Iesuita ratiocinatur:

Figuram Melchisedeci oportuit revera impleri in sacerdo-  
tio Christi: est enim Christus secundum ordinem Melchi-  
sedeci Sacerdos. Psalm. 110.

Sed Melchisedecus obtulit panem & vinum Deo.

Ergo oportuit & Christum offerre Deo patri non tantum  
panem & vinum, sed, ut veritas figuram impleret, sub spe-  
ciebus panis & vini corpus & sanguinem suum. Illud verò  
non alibi, quam in cœna fieri potuit.

L.

Maximè nituntur Pontificii hoc testimonio & hoc argu-  
mento: quod tamen penitiùs introspectum & examinatum, ni-  
hil quicquam patrocinii Missatico Sacrificio præstare potest.

LI.

Quod enim majorem propositionem attinet, concedimus  
eam, si veritas typi, quem gessit Melchisedecus, ex Scriptura  
declaretur, & non nostris rationibus & quibusvis speculatio-  
nibus evolvatur.

LII. Quibus itaque in rebus Melchisedecus typus Christi fuerit; quibus circumstantiis eundem repræsentarit, ex Epistola ad Hebræos facillimè colligere licet.

LIII.

Primum typum gerit ipso suo nomine, quod sonat regem iustitiæ. Sic & Christus nostra est iustitia, II. Cor. I. & apud Prophetam Jerem, 23. v. 6.  $\text{יְהוָה אֱלֹהֵינוּ}$  iustitia nostra appellatur.

LIIII.

Secundò, quod fuit rex Salè, id est, rex pacis, quo ipso quoque Christum in regno suo adumbravit: Regnum enim Christi est iustitia, PAX & gaudium in Spiritu sancto, Rom. 14. quod vel inde patet, quia in ipsa Nativitate Iesu Christi vox Angelica P A C E M T E R R I S, & bonam voluntatem hominibus annunciavit, & cum per januas clausas ad discipulos ingrederetur, pacem ipsis preceperat est. Ioh. 20. v. 20. & 21. Quem in modum & Paulus Apostolus ferè in omnium Epistolarum exordiis pacem à Domino Iesu Christo optare consuevit.

LV.

Tertiò, quòd  $\alpha\omega\acute{\alpha}\tau\omega\varsigma$   $\kappa\alpha\iota$   $\alpha\mu\acute{\iota}\tau\omega\varsigma$ , h. e. ignoti Patris & ignotæ Matris Melchisedech fuerit, in eo quoque Christum Salvatorem repræsentavit & adumbravit: Qui secundum Deitatem  $\alpha\mu\acute{\iota}\tau\omega\varsigma$ , secundum humanitatem  $\alpha\omega\acute{\alpha}\tau\omega\varsigma$  est.

LVI.

Quartò, quòd nec initium dierum, nec finis vitæ Melchisedeci recensetur, in hoc etiam assimilatur Filio Dei, ejusque perpetuò, ac æternùm duraturo sacrificio.

LVII.

Quòd deniq; benedixit Abrahamo, quo præfiguratū fuit, Christum talem fore sacerdotem, qui nobis æternam benedictionem conciliet; quemadmodum passim in historia veteris Testamenti Prophetæ vaticinantur, per semen mulieris benedicendas esse omnes gentes terræ. Habes

LVIII.

Habes hinc typum Melchisedeci in distinctis adumbrationibus. De Missatico autem sacrificio in universa illa tractatione & applicatione Apostolica ne verbulum, ne apicem, ne gry quidem habes.

LIX.

Quod si tam excellens sacrificium per Melchisedeci personam adumbratum fuisset: qui fieri potuisset, ut Spiritus sanctus tam lethæa oblivione illud oblitus fuisset? interim verò alia, quæ Pontificii minoris momenti judicant, *ἀκριβέστερα* & accuratius annotavisset? Non ergo quoad sacrificium Missaticum, vel in Melchisedeco typus, vel in Christo antitypus quaerendus est.

LX.

Nec valet Esavitæ Bellarmini effugium primum, ideo Apostolum noluisse mentionem facere panis & vini, quia non fuerit illud ad scopum; quippe quod sole meridiano clarius est, Paulum ex professo & data opera typum & antitypum Melchisedeci explicandum sumsisse, Tom. 2. edit. in fol. anno 1596. fol. 967. lit. B.

LXI.

Et si, ut Iesuita habet *κρυπτότερον* alterum lit C. non fecisset oblatio illa panis & vini ad excellentiam Melchisedeci, nonne hoc ipso omnem excellentiam idolo suo Missatico derogat & adimit? & nonne hoc fecisset ad excellentiã, si Melchisedecus tam perspicuũ typum nobilissimi sacrificii Missatici gessisset?

LXII.

Fumos ergo his rationibus venditat, quemadmodum & tertium effugium cassa nuce vanius est, cum excipit, ideo Apostolum Paulum non meminisse oblationis panis & vini, ne Ebraeis mysterium *ἑρασιμίας* necessum haberet explicare: qui Ebraei mysteriorum non capaces erant.

B 5

Sequitur

## LXIII.

Sequutus est hac in parte Iesuita noster Osium: sed uterque decipit, uterque ab ipso Apostolo jugulatur, qui ad Ebræos c. 6. v. 1. luculenter asserit: Intermittentes sermonem inchoationis, ad PERFECTIONEM feramur. En Iesuita, num non se grandes, & perfectos ac mysticos sermones prolo-  
cuturum polliceatur Apostolus. Haftenus major.

## LXIV.

Porro ad minorem transimus: & negamus Διαρρήδην, quod Melchisedech panem & vinum Deo obtulerit, nec enim sic Ebræa habet veritas, sed quod protulerit panes, scilicet Abrahamo, ejusque militibus, ut ex cæde Regum defatigatos reficeret, id quod ipse Iesuita confiteri necessum habet.

## LXV.

Nam quod ex verbo נִצְיָיָה arroganter argumentatur Iesuita, fol. 950. lit. B. C. illud significare adductionem propriæ vel hostiæ, vel alius rei: frequenter autem ad sacrificia restringi: simpliciter respondemus, nos hæc largiri: interim non demonstrabit Iesuita in omnem æternitatē, quod vocula נִצְיָיָה oblationē externā innuat

## LXVI.

Nulla enim hîc loci exigentia suadet, ut pro sacrificare sumatur, nisi fortè illa, quâ Pontificii ad austruendum idolum Missaticum egere videntur. Hanc verò inopiam illorū & agnoscimus ipsi, & nobis gratulamur: interim sanitatem verborum Spiritus sancti ipsorum gratia non amittentes.

## LXVII.

Cæterum, ut meliùs premamus adversarios, non negligenda est versio Lxx. Interpretum, qui de prolatione hac loquentes, Melchisedecum panes, ἄρτους, (πληθυντικῶς) protulisse, scribunt: innuentes, se non sacrificium aliquod adumbratum illic intelligere, sed liberalitatem regiam agnoscere, quâ PANES,  
hoc



hoc est, cibi ( sic enim frequentissimè panis vocula in Scripturis usurpatur ) defatigato exercitui Abrahami proferebantur.

LXVIII.

Nec valet quicquam illa ἔνστασις, quoniam addatur: erat ENIM Sacerdos Domini, ideo, ut causalitati sua constet ratio & integritas, Melchisedecum sacrificasse, & Deo obtulisse.

LXIX.

Primò enim non habetur causalis ∴, sed conjunctiva & copulativa particula ⁂, quæ licet nonnunquam pro ratiocinativa usurpari consueverit, ut tamen hîc alienam significationem induat, nobis à Iesuita præscribi minimè patiamur: præsertim quia & LXX. Interpretes non γὰρ, ENIM, sed & in sua versione habere leguntur.

LXX.

Textus ergo sic cohæret: ET erat Sacerdos altissimi: & benedixit ei: Quatenus igitur Melchisedech Rex fuit, eatenus panem & vinum protulit, suamq; regiam liberalitatem exhibuit: quatenus autem Sacerdos erat, eatenus benedictionem promulgavit.

LXXI.

Sic φλυαρίαι Pontificiis circa hunc locum discussis, intrepidè pronunciamus, textum istum à Iesuitis & reliquis Sacrificulis longè inconvenientissimè ad stabilendum idolum suū Missaticum productum esse.

LXXII.

Nam ut missum faciam illud, quod meritò adhibere possem, scilicet probationem & conclusionem Iesuitarum ex his verbis, non probare membra illa, quæ superius probanda esse demonstravimus, duo cum primis alia argumenta urgere licet: quorum primum est: Ideo Sacrificulis Pontificiis cum Sacrificio Melchisedeci nihil esse commercii; siquidem Melchisedecus panem & vinum proferebat, vel, ut ipsi sentiunt, offerebat: Sacrificuli autem in sua Missa theatra, nec panem, nec  
vinum.

vinum manere, dictitant, sed in ipsa verborum recitatione in corpus & sanguinem transsubstantiari fingunt, atque sic re ipsa aliud esse sacrificium Melchisedeci, aliud Missaticum, quippe diversâ utrobique existente hostiâ demonstrant.

L X X I I I.

Deinde typus sacerdotii Melchisedeci consistit in iis, quæ non communia habet cum Sacerdotio Aaronico, sed in quibus Melchisedech & Aaron discernuntur: hic enim est scopus Pauli: at verò Sacrificiū panis & vini quotidianum fuit in sacerdotio Aaronico. Exod. 29. Num. 28.

L X X I V.

Hac ratione non consisteret, Christi sacerdotium esse non secundum Aaronis ordinem, sed secundum Melchisedecum, si sacrificium panis & vini præcipuū esset in sacerdotio Christi: quod in sacerdotio Aaronico fuit quotidianum.

L X X V.

Has ambas objectiones solvendas trado Sacrificiis, & interea ad reliqua istorū argumenta præcipua examinanda propero.

L X X V I.

Conciliabulum itaque Tridentinum tale argumentum fabricat:

Sacerdotium requirit Sacrificium.

Christus habet Sacerdotium, & quidem æternum, quod morte ipsius abolendum & extinguendum nō erat. Pl. 110. Ergo non tantum semel se debuit in cruce offerre, sed instituire sacrificium Missæ, ubi sæpius & quoudie pro peccatis vivorum & mortuorum Deo Patri offerretur, & hoc modo se Sacerdotem in æternum declararet.

L X X V I I.

Deum immortalem! quanta subtilitas? quantum disputandi acumen in tantis, tamq̃; multis convasatis Pilatis, Episcopis, Archiepiscopis, inò ipso summo Pontifice? Deum  
immor-

immortalē, quā crassus πᾶραλογισμῶς παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον  
ab hoc stolido (solido inquam) Senatu committitur!

LXXVIII.

Spiritus sanctus enim Sacerdotium Christi non ideo per-  
petuum nominat, quòd quotidie sacrificandum, & Deo patri  
offerendum sit: sed propter causas longè alias, quas in Epi-  
stola ad Ebræos comprehensas paucis delibabimus.

LXXIX.

Aeternum proinde dicitur habere Christus Sacerdotium:  
quia ipse Sacerdos vivit in aeternum, teste Paulo Ebr. 7. v. 23.  
Alii quidem (scilicet veteris Testamenti Sacerdotes) plures  
facti sunt Sacerdotes, iccirco, quia morte prohiberentur per-  
manere. HIC autem (CHRISTVS) EO, QVOD MA-  
NEAT IN AETERNVM, sempiternum habet sacer-  
dotium.

LXXX.

Aeternum deinde Christus habet Sacerdotium, quia virtus  
unicæ ejus oblationis in sempiternū durat, & efficax est: Quia  
semper apparet vultui Dei intercedens pro nobis: quia perpe-  
tuò salvare potest, & salvat eos, qui per ipsum ad Deum acce-  
dunt, & quia perpetuò ad dextram Dei consedit.

LXXXI.

Has enim causas Epistola ad Ebræos disertè exprimit, Ebr.  
10. vers. 11. Omnis quidem sacerdos præstò est quotidie mini-  
strans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt  
auferre peccata: HIC autem VNAM pro peccatis offerens  
hostiam, IN SEMPITERNVM sedet ad dextram Dei,  
Ebr. 9. v. 13. Christus per proprium sanguinem introivit semel  
in sancta, AETERNA REDEMPTIONE INVENTA.  
Ebr. 9. v. 28. Christus SEMEL oblatus est ad multorum ex-  
haurienda peccata, ibid. v. 24. Neque ut sæpe offerat semeti-  
psum, sicut Pontifex intrat in sancta sanctorum per singulos  
annos in sanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter

C

pati

pati ab origine mundi. Nunc autem in consummatione seculorū SEMEL ad destructionem peccati per hostiā suam apparuit.

L X X X I I.

Arrigite aures Tridentini vos Arcopagita: ubi in verbis istis vel unicā syllabā fit mentio, Christum ideo Sacerdotem æternum esse, vel Sacerdotium perpetuum habere, quia quotidie per Sacrificium aliquod externū offerri debeat? Nōne ceu fulmine cœlesti ratio ista potius profligatur & eliditur.

L X X X I I I.

Vnicum adhuc principalissimum adducunt fundamentum, ex verbis institutionis desumptum, (Bellarmin. lib. i. de Missa, cap. 12. 13. 14.) quo in genere probationis haud stultè saperent, si patrociniū aliquid sibi positum esse illic monstrare possent; præsertim, quia Missam nihil ab Eucharistia differre, magnā bombologiā, mendacissimā verò falsitate crepitare solent.

L X X X I V.

Sic ergo argumentantur: Christus dixit: Hoc facite: ergo in cœna debet fieri Sacrificium, quia facere significat sacrificare: Hoc verbum Ebraeum  $\text{קָרַב}$  idem notat, quod sacrificare, Levit. 15. v. 15. 3. Reg. 18. v. 23. & in Latino sermone: Cūm faciam vitulā pro frugibus, ipse venito.

L X X X V.

Respondeo primū, esse  $\sigma\acute{o}\lambda\omicron\sigma\mu\alpha \pi\alpha\rho\acute{\alpha} \tau\acute{o} \acute{\epsilon}\pi\acute{o}\mu\epsilon\nu\omicron\rho$ : Etsi enim vel millies in scripturis hæc significatio reperiatur: ex parte tamen duntaxat, & à non distributo ad distributum procedit probatio.

L X X X V I.

Deinde error est  $\pi\alpha\rho\acute{\alpha} \tau\acute{o} \chi\eta\mu\alpha \tau\eta\varsigma \lambda\acute{\iota}\xi\iota\omega\varsigma$ . Neq; enim vel Ebraicè, vel Latinè scripserunt Evangelistæ & Apostolus, sed Græcè, ubi habetur verbum  $\pi\omicron\iota\epsilon\rho$ , quod sensum sacrificandi nullo modo in se admittit.

Tertiò

## LXXVII.

Tertiò error ἢ παρὰ τὸ πρὸς τὴ ἀπλῶς λεγόμενον. Neq; enim verbum facere solitariè ponitur, neque etiam cum nomine casus sexti: qui verbi istius in sensu sacrificandi est proprius, ut, facere vitulâ; non vitulum, sicut quondam rudes asini Monastici locuti sunt.

## LXXVIII.

Sed porrò aliter ex verbis arguit Iesuita: Christū in cœna obtulisse corpus suū, & sanguinem suum, patet inde, quia in præsentis tempore loquitur; Corpus, quod pro vobis T R A D I T V R, vel F R A N G I T V R: Sanguis, qui E F F V N D I T V R: jam non possunt ista de effusione & traditione in ara crucis facta intelligi, quia in præsentis verba sonant & oblatio in cruce demum sequenti die facta est. Ergo de oblatione in Eucharistia, sive Missa.

## LXXIX.

Vt colophonem imponamus, breviter Iesuitæ sic respondemus; non valere hanc ratiocinationem: I. quia, si in cœna Christus pro remissione peccatorū sese Deo Patri obtulisset, non fuisset opus, postera die pro eadem expiatione mortem cruentam subire. At hoc absurdum est. E. II. Quia Scriptura disertè ait, Christum non pluries, non saepe, sed SEMEL oblatum esse, Hebr. 7. v. 27. 9. v. 12. 28 10. v. 12. 14. & 9. v. 25. III. per instantiam: Baptista in præsentis ait: Hic est agnus, qui tollit peccata mundi. Esaias ait, cap. 53. de offerendo; O B L A T V S est. idem cap. 7. Puer nobis nascitur. Christus quoq; Ioh. 10. Ego pono animam meam pro ovibus meis. Quod si ergo in his Enallagen temporis agnoscunt Pontificii, quidni & in verbis institutionis admittant?

## X C.

Quia ergo certò erat tradendum corpus, & sanguis profundendus pro vita mundi, & jamjam illud ipsum ut fieret, in  
C-2- promptu

promptu erat, imò Christus inde ab ipso matris utero, & corpus & sanguinem variè pro nobis dederat atque fuderat: præcipuè quia in mensa ultimæ cœnæ dolores cordis acutissimos de instante passione sensit: præsentis temporis verbis uti, quàm futuri maluit: id quæ ex usu scripturarum & linguarum omnium usitatissimum.

XCI.

Hæc de Sacrificio isto idololatræ Missæ disputata sufficiant, quod uti Deus præpotentissimus per Ministerium Beati Megalandri Lutheri ex Ecclesiis nostris benignissimè profligavit: ita porro quoque ab iisdem procul abesse clementissimè faxit, ad nominis sui gloriam, & nostrum perenne emolumentum. A M E N.

---

AD PIE ERVDITVM, ET ERVDITÈ  
pium Dn. Respondentem, M. ADAMUM  
Windtdorffer.

**I**ndolis in Sophiâ tibi testis IENA, celebrat  
Teûlogiæ specimen nunc VViteberga tuæ.  
MISSAM demonstras ex sacro codice, missam  
Quilibet ut faciat, qui cupit esse pius.  
Ingenuè dicis: ROMÆ ruat inde columna!  
Nobis exsulibus sic licet ire domum.

*Johannes Windtdorffer / Frater germanus  
exsul ex exsilio transmittit VVitebergam.*



99 F 226

ULB Halle

3

002 340 16X




Nur für den Lesesaal









DISPUTATIO XX.  
DE MISSA,

*Quam,*

CHRISTO DUCE ET AUSPICE,  
ventilandam proponit,

*SVB PRAESIDIO*

MATTHIAE HOE, von Doeneck / Equi-  
tis Austriaci, SS. Theol. Candidati,

*M. ADAMVS Windtdorffer /*  
*Grazensis, Styrius.*

Ad diem 15 Novemb. anno seculari 1600.  
hora 12 pomeridiana, loco disputa-  
tionibus nostris destinato.

*Ebr. 10. v. 10. & 14.*

Vna oblatione corporis sui, Iesus Christus semel  
consumavit in aeternū eos, qui iustificantur.

WITEBERGAE  
Typis Simonis Gronenbergii.  
ANNO 1600.

*Dn. M. Christophoro Donavero*  
*poëte laureato*